

quæ item forma & finis sit, vide latius & eruditè differentem Wesenbec. in paratit. C. de heret. & Manich. tot. tit. Reinking. & quos ille allegavit lib. 3. Class. 1. C. 1.

XVII.

Quâ pœna in hæreticos animadvertendum sit, apud omnes non convenit. Pontificii sanè uno ore clamitant, Hæreticus est ad ignem; Clar: lib. 5. sent. §. heres. n. 7. & in hac confirmanda sententia, tantus omnium Catholicorum est consensus, ut pro articulo fidei habeatur. Hujus crudelitatis exempla nobis præbent Laniena Parisiensis Anno 1572. in Galliis instituta, in qua tribus diebus supra decem millia hominum omnis ætatis cæsa fuère. Dinoth: lib. 5. histor. Gallic. p. 341. In Germaniâ Inferiori, Ducis Albani Tyrannidis, qui ipsemet jactare non erubuit, quod paucis illis annis quibus Belgio præfuit octodecim millia hominum, utriusq; sexus, clam & palam furialibus carnificinis è medio sustulerit; quo tamen rigore Patribus inquisitionis satisfacere non potuerit Mettera: de bello Belgico: Ut & processus contra Johannem Hussum, & Hieronymum Pragensem institutus, & Anno Christi 1415. 8. Julii ac 9. Septembr: executione confirmatus. Charion. Lib. 5. Chron. Schleid. comment. lib. 3. Cujus tamen pœnæ acerbicatem præsentium temporum miseriam ex parte relaxatam, Gudelinus querelatur lib. 6. Comment. de jur. noviss. C. ult. apud quem ut & Hunnium in Encycloped. p. 5. tit. 6. per tot. multas in hæreticos constitutas pœnas, reperire licet. Primariæ autem secundum Gothofred. à Bavo in tract. reatumum quest. 7. n. 11. Hæ sunt 1. Spiritualis ut Excommunicatio l. Excommunicamus. 13. x. de heretic: 2. Confiscatio bonorum. 3. Corporalis, concrematio, tam hæretici quàm librorum ejus l. 8. §. 5. in med. C. de heret: & Manich: Damhouder: in pr. Crim. C. 61. n. 56.

XIX.

Ab hac autem crudelitate nostrates non immerito recesserunt, & in mitiorem sententiam unanimiter convenerunt. Dum hæreticos placidè primum admonendos verbo divino informandos & convincendos, inq; viam rectam, quantum fieri possit ducendos; si verò spretis hisce omnibus non resipuerint, sed dogmata sua falsa pertinaciter retinuerint, Exilio plectendos, nunquã autem ultimo supplicio afficiendos esse, rectè statuunt Balthas. Meisner: in Philo-

B

soph.